

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Gvardianvs

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

exteriori, sed solum in foro interiori animæ.  
Ita Lezan 10. 1. c. 18. n. 45. & 10. 3. V. Absolutio. n. 6. An idem liceat, si facultas illa detur, cum clausulâ, in foro Pœnitentiæ &c. Vide dicta cir. V. Absolutio. n. 48.

## GVARDIANVS.

207. *Guardianorum qualitates, Electio, duratio, &c. remissivè.*  
208. *Eorum potestas Domestica.* 209. *Iurisdictionis.*

CCVII. 207. **G**uardianos quomocunq; electos, esse verè Prælatos & habere curam animarum, declaravit Clem. 4. & Sixt. 4. relati à Corduba in *Comp. Prin. Mend. ad V. Guardianus*. De illorum electione, duratione &c. dictum est sufficienter *V. Electio*. An possint mutari vel etiam spoliari officio, *Vide V. Prælati*. De Promouendis ad Prælaturas Conuentuales, hoc imprimis aduertit P. Sigism. *de Elect. dub. no. n. 13.* inspiciendam esse nedum ætatem & doctrinam, sed mores & prudentiam, ita vt merito ille præferatur ac semper præferendus sit, qui alterum antecellit integritate vitæ, prudentiâ, aliisque virtutibus ad regendam Ecclesiam opportunis, licet hic alter el-

set

set antiquior ætate, seu insignitus gradu Concionatoris vel Doctoratus, & in audiendis Confessionibus exercitatus; quia non ex eo, quod hic aliter sit Doctor, siue Concionator, vel antiquior, oritur vlla præsumptio, quòd illum superet vitæ ac morum splendore, & prudentiâ, quæ potissimum requiruntur in administratione curæ Ecclesiæ Parochialis &c. Vbi verò datur paritas morum, vitæ integritatis ac prudentiæ, tunc sanè præferendus esset, qui Doctor, & concionatoris vel Doctoratus laureâ ornatus est.

208. Guardiani possunt ex iure omnia, quæ pertinent ad obseruantiam Regularis disciplinæ, & quæ spectant ad ordinariam suorum Conuentuum Gubernationem, & rerum temporalium administrationem ad vsum quotidianum necessariorum, citrà tamen recursum ad pecuniam, nisi urgente necessitate, & expressâ licentiâ P. Prouincialis, quam si habere commodè nequeunt, iubentur de recurso facto rationem in visitatione reddere. *Ordinat. Gener. 1656.* simili modo pecunias indifferenter, siue pro Mis- sis, siue liberaliter oblatas, ad alium Guardianum, seu fratrem suæ curæ non commissum transmittere nequeunt, nec pro illis expendi facere, nisi de licentiâ Custodis aut

CCVIII.

*Eorū Po-  
restas Da-  
mescica.*

Pro-

Prouincialis, & seruatis seruandis amborum, vt scilicet nec mittatur, nec expendatur nomine seu auctoritate fratrum, sed tantum ipsius dantis, seu eius depositarij, quos idem solum rogare possunt, vt talem pecuniam pro hoc vel illo loco, hac vel illa necessitate expendant. P. Polit. in c. 4. Reg. n. 40. sic & in Constitut. c. 6. prohibentur sine licentia PP. Prouincialium alijs dispensare, vel dispensandi facultatem dare, nisi res minimas & viles. De quo vide P. Foliz. cit. in c. 6. n. 26. nec non Barbos. De Appell. tit. 215. n. 4.

CCIX.  
Potestas  
Iurisdi-  
ctionis.

209. Eadem proportionaliter intellige de potestate Iurisdictionis, licet enim, vt supra dictum, Guardiani sint verè Prælati, habentes curam ordinariam animarum, cum tamen infra se Prælatum alium non habent, in iure solum Curatis seu Parochis comparantur. Urban. ab Ascens. in Theol. Mor. tr. 2. p. 2. dist. 2. c. 1. Reg. 12. Mirand. in Man. Præl. to. 2. q. 19. a. 3. qui ea lege præsumunt plebibus, vt cuncta referant ad Episcopos, neque aliquid contra ipsorum decretum præsumant ordinare. Gl. in c. fin. de off. Archiep. V. referat. Ita & prædicti Guardiani, cæteri que Præfecti locales, cum sint Prælati Generalibus & Prouincialibus inferiores, Iurisdictionem suam præcisam, deter-

determinatam & coarctatam habent à jurè,  
 vt per seipfos non possint nisi tantum mino-  
 ra negotia determinare, maiora verò ad  
 Prælatos Superiores deferant, qualia sunt  
 licentià ad SS Ordines, instituere Prædica-  
 tores & Confessores, dispensare vel absol-  
 uere in casibus referuatis pro foro externo,  
 grauiora supplicia infligere, & id genus  
 alia, de quibus diuersis titulis in hac Summ.  
 V. Absolutio quoad FF. V. Dispensare. V. Index.  
 V. Prælati.

Virtute Priuilegiorum, quæ referun-  
 tur in Comp. V. Guardianus. & V. Prælati.  
 ait Mirad. vbi supra, a. 4. prædictos Guardia-  
 nos habere ita plenariam auctoritatem cir-  
 ca sibi subditos, ac Generalis in toto Ordine,  
 & Prouincialis in tota Prouincia, in  
 quibus eorum potestas non est limitata &  
 coarctata. Sed quia nostræ Constitutiones  
 expressè huiusmodi Priuilegijs renuncia-  
 runt, insuper & potestatem Guardianorum,  
 vt in præmissis ostensum est, diuersimodè  
 restrinxerunt, non est vt vltra prædicta eam  
 extendamus.

## HABITVS.

210. *Habitus Religiosi Priuilegium primum.*  
 211. *Secundum.* 212. *Tertium.*  
 213. *Quartum.* 214. *Quintum.*  
 215. *Sexum.* 210. *L. 1.*